

*lib. VII. & ex eo Pufendorf. Jur. Nat. & Gent. lib. VIII. cap. 10.
§. 9. confer PRÆSIDIS mei *Dissert. III. part. II.* de vitiis,
quibus civitas impar.*

XXXVII.

Prudentia, quæ res laudabiliter constituit, aliquando per inopinatum NECESSITATIS CASUM, ut a prioribus discedat, cogi potest. Nobilissimum hic allegari potest σεισαχθείας, seu TABULARUM NOVARUM exemplum. Nam Atheniensium populus grandi ære alieno sic obstrictus erat; ut vel extrema pati, vel ad seditionem non creditoribus modo, sed universæ patriæ periculosam respicere juberentur. In ea necessitate felicissimum erat Solonis remedium, qui lectus legum conditor, ante omnia equidem æs alienum omne debtoribus remisit, simulque, ne quis imposterum id corporis obligatione contraheret, lege lata prohibuit. Videri de his potest & Plutarchus, & Diogenes Laertius, qui vitam Solonis descripserunt. Cur autem peculiari hoc nomine, rem in se odiosam commendaverit, infra monebimus, *Theſ. XLIV.*

XXXVIII.

Casum necessitatis ſæpe nobis objicere videtur non imminens periculum, sed honoris opinio; ut vetera mutare libeat, vel *in VINDICTAM* vel *in POENAM*. Vindictæ gravissimum exemplum dedit Henricus VIII. Angliæ Rex. Is enim repudiata Conjuſe Catharina, ex qua Mariæ pater factus erat, cum duxiffet Annam Bolenam, ac Pontificem ſibi ſentiret acerbum, gravissimum odium in eum conceperat, (referam singula breviter verbis Sleidanii *Lib. IX. ad an. 1534. pag. 141.*) ut continuo decretum faceret, quo ſe per Angliam Ecclefia caput, proximum a Christo pronunciaret, & Pontificatum plane projiceret, capitis pœna constituta, ſi quis episcopo Romano supremam potestatem ad-